

DE SACRIS ARCANIS
DEIPARAE VIRGINIS
DE MONTE CARMELO

LIBER DECIMUSSEPTIMUS

HOMILIA PRIMA.

Agitur de percelebri festo sanctae Mariae de Monte Carmelo, cuius occasione Illustrissimae Familiae Carmelitanae nonnulla praeconia laconice perstringimus.

Merito in hac solemnitate verba illa insonant (Luc. 11): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*: nam tametsi secundum literalem sensum dicta fuerint a Christo Domino, secundum sensum tamen accommodatum, et morem, a Patribus non parum usitatum, huic sacrae religioni pulchre mihi congruere videntur, cum b. Virgo visceribus suis illam spiritualiter genuerit, et ad sua ubera lactaverit, ut loquitur Gregor. XIII. in bulla, *Ut laudes*. Etenim venter, et ubera consulto nominantur, ut innotescat, Deiparam Virginem non modo hunc sacrum Ordinem genuisse, sed et tanquam prolem ab ea ortam, lacte suo aluisse, et nutritive. Certe quemadmodum in scientiis edocendis, prima eorum principia non probantur, sed supponuntur, tanquam lumine naturae per se nota, ita prophetam Eliam primum sacrae huius Carmelitanae religionis institutorem fuisse, b. Virginem specialiter ad eius conservationem postea cooperante, primaque eius fundamenta instar peritissimi architecti iciesse, probatione non indigebat, cum tanquam rem notissimam sancti Patres testentur, sacri Pontifices ei subscribant, ac diversarum traditionum monumenta confirmant; solum superciliosos negent, invidi inficiuntur, historiarum igitur infidias, et si qui viri perdocti, ac sapientes discipulae ierunt, argumentum hoc non ex professo, sed per transennam, et obiter attigerunt: quorum excellenti doctrinae nihil detrahere nos arbitramur, si in hac parte eorum opinionum refragemur. Ut tamen deinceps in hoc genere argumenti nulla supersit ratio dubitandi, gravissimis testimoniis id nunc con-

stabiliam, et latius in sequentibus. Polydor. putat, Eliam non solum dedisse primordia Carmel. Relig. sed totius sanctitatis, et religiosae disciplinae, qua omnes Ecclesiae catholicae monastici Ordines claruerunt, indubitatum magistrum extitisse: verba Polydor. haec sunt. *Quicquid virtutis, et perfectionis est in quocvis monastico Ordine, a castissimo propheta, et Patre Elia, tanquam a primordiali Eremitarum Monachorum, et etiam universonum religiosorum institutore, velut a fontali principio emanavit. Etenim virtus, quam alii imitantur, iis, qui eius auctores fuerunt, proculdubio magna ex parte attribui debet; ad eum certe modum, quo Ierosolymitano templo accidit, quod quamvis varias laeturas perpessum fuerit, atque a diversis instauratum, nihilominus Salomonis templum, utpote primum fundatoris illius semper est appellatum. O quantum ss. Patribus religionum institutoribus qui virtutum in illis observandarum fundamenta posuere, Ecclesia Dei debet. Quantum beatissimo Dominico, a cuius filiae, praesertim d. Thoma, sinceræ, et catholicae doctrinae lacte Ecclesia Dei alitur, et nutritur. Quantum seraphico d. Francisco, cuius nullum aliud noscitur esse institutum, quam Evangelium Christi ad unguem observare, et Christo crucifixio commori. Quantum d. Augustino haereticorum malleo, qui eum regulam modumque vivendi instituit, qui non uni, sed multis religionibus sub eius vexillo militantibus, veluti lucidissimae Ecclesiae faeces? Quid Basilio dignum retribuerit, quem iure optimo, Magni honorifico titulo euhonestamus, cuius pietas, ac doctrina tantae probitatis regula non condidit? Igitur si iis sanctis Patribus tantum debetur, quid sanctis viris huius sacrae religionis fundatoribus deberi iudicabimus? cum non solum honorum operum fructus, quos sacra haec religio edidit, sed omnes etiam spi-*

rituales foetus, quos universae religiones hucusque pepererunt, merito illis, tanquam fontalibus primordiis, adscribi debeant: quod ne meo Marte affirmare videar, Eliam, et Elisaeum religiosae vitae principia dedisse gravissimi auctores contestantur; nam sancti patres, Elias et Elisaeus non tantum huius Ordinis, verum, audeo dicere, etiam omnium fundatores fuerunt; certe iuxta iuris regulas in cap. vere, et refertur a d. Antonino (2. parte suae summae titu. 16. cap. 1. §. 4.), duo fratrum ab Ecclesia approbata genera memorantur, quorum alterum coenobitarum appellatur, eo quod in coenobitis, seu monasteriis regulae, ac praelato subiecti viverent, de quibus d. Antoninus ait: *Iti ab Elia exordium habent, cuius imitator et Ioannes Baptista erat.* Cum ergo omnes Ecclesiae Dei Ordines sint huiusmodi, velut rivuli sunt, ab Elia virtutum omnium fonte emanantes, cui, sicut et Abrahae illud sacrae Scripturae cognomen mirifice quadrat (Gen. 17): *Pater centurarum gentium*: et illud ex d. Ioanne Apostolo: *Pater omnium credentium*; merito veteres doctores sanctum patrem Eliam appellaverunt totius vitae monasticae patrem, universorum Ordinum exordium, omnis religionis vexilliferam, ac coenobiticae disciplinae antesignanum. Non inventa a me loquor, sed quae docuit me d. Hieronymus in vita, quam scripsit s. Pauli primi Eremitae, quae habetur (in eod. 1. tom. fol. 106. in exord.), sic ait: *Inter multos saepe dubitatum est, a quo potissimum Monachorum eremus habitari coepit: quidam enim hoc altius repetentes, a b. Elia, et Ioanne principium sumpsisse autumant. D. Bernardus Abbas Cassinensis (in expos. primi capituli reg. s. Bened.) ait: Attende bene, quod in veteri Testamento Ioan. Baptista, postea tandem tempore Apostolorum, Paulus, et Antonius, horum Monachorum inventores exultaverunt. Macharius vetustissimus (in quodam sermone ad monachos) haec habet: *Duos viros magnificos exordium monastici Ordinis praetulisse credimus, quorum unus igneus equis in coelos raptus legitur, alter vero prophetasse, antequam natus sit. Primum Elias pater noster exiit, in quo sicut honoris Dei ignitus zelus adeo ardebat, ut undequaque molestia afficeretur: ita ille idem ignis, Deo sic disponente, eundem corpore, et animo in Paradisum sustulit: nam illum, qui in terris positus angelicam vitam duxerat, inter nos remanere Deus non est passus. Alter Ioannes Baptista fuit, cui, ut d. Augustinus narrat, rationis usus acceleratus fuit, et cum sex menses a conceptione sua profuissent, in ventre materno delitescens, prophetauit. Auctor (Hist. Trip. c. 11) ait: *Huius Monasticae antiquissimae professionis princeps in veteri fuit Elias, in novo autem testamento Ioannes Baptista.***

Nolo, quamvis facultas mihi suppetat, sermonem protrahere in antiquorum doctorum variis monumentis referendis, qui omnes uno ore testantur, sanctissimum patrem Eliam totius

CARTHAGENA de B. M. V. — Vol. III.

vitae religiosae ducem, ac celebrem auctorem esse; paucis tamen veritas haec patebit, si essentialia religionum vota, obedientiam, castitatem, et paupertatem esse, in mentem revocaverimus. De obedientia Eliae ait Ioannes Hierosolymorum Episcopus: *Abiti Elias, ubi eum ferebat voluntas Dei, et fecit iuxta verbum Domini. Ipse Elisaeum obedientiam docuit: nam vocem eius audiens, aratro, bobus, pateraque domo relicto, praecceptorem suum sequutus est. Paupertatem a facie Iezabel peregrinatum fuisse, quousque obtinuit, ut coelitus sibi cibi ministraretur: unde d. Isidorus dixit (de monach.) *Unde ad monachos studium fuerit paupertatis, vel qui huius conversationis exitum auctor, vel cuius isti habitum imitantur, quantum pertinet ad auctoritatem veterum Sanctorum, huius propositi princeps est Elias, et discipuli eius, qui habitabant in solitudine, et faciebant sibi domunculas iuxta fluentia Iordanis.* Elisaeus etiam ab eo edoctus, et in paupertate doctrina bene instructus, ita virtutem hanc paupertatis coluit, ut famulum suum Giezi, divitiarum Naaman leprosi cupiditate possessum, propter proprietatis culpam, lepra miraculose punivit. Quid tandem dicam de castitate, et virginitate Eliae? Certe in eius praemium, ut habetur (3. Reg. 18). Certe in montis Carmeli fastigio, magus pater Elias septies orans, oratione septima absoluta, nubem quandam exagione ignitus est, quasi vestigium hominis, in qua nubes sibi a Domino ostensa fuit b. Virgo, quae septima aetate appropinquante nascitura erat in mundo, ac in corrupta mundi partitura erat. Accedit quodragessimus quartus Ierosolymorum Episcopus (in lib. de Monachorum institutione), quem b. Caprasio monacho Carmeli priori scripsit, ubi in hanc modum loquitur: *Congregavit et nunc Elias filios prophetarum terrae sanctae diversorum Conventuum, et in voluntaria paupertate, obedientia, et castitate eos vivere instituit. A cuius sententia non abhorrens doctor Hieronymus scribens ad Eusebium ait: In veteri lege sola erat benedictio liberorum, quia vacuus erat mundus: paulatim vero crescente segite, messor multus est et virgines: virgo namque Elias, virgo Elisaeus, virgines multi filii prophetarum. Hinc collige, quanta sit Carmelitanae religionis cellitudo, cuius fundator omnes aliarum religionum institutores, vel ut novitius habuit, qui ab eo prima religiosae disciplinae elementa didicerunt, quae labentibus annis postea alii tradiderunt. Denique in huius rei confirmationem produco Iosephum Antiochenam (lib. de perfect. milit. prim. Eccles. cap. 12) ita loquentem: *Prophetarum Christi militum, Apostolorum coadiutores succreverunt strenuissimi viri solitarii, contemptissimi dediti, Elias, et Elisaei sequaces, qui de monte Carmelo descendentes per Galilaean, Samaritan, et Iudaeam fidem Christi constantissime sparserunt. Ecce quomodo christiana militiae strenui iam milites effecti, ab iis montibus descenderunt, ut religiosae vitae magisteria palam: etenim,***

25

licet ex praclaro parente originem ducat, clariorem nullo nanciscitur matrem. Deiparam scilicet Virginem, quae multo illustriorem, ac celebriorem illam reddidit. Unde Piliidorus (*lib. 1. cap. 2*) ait: *Tempore praedicationis Apostolorum sunt Carmelitae conversi ad Evangelicam perfectionem, atque humiles fidem Christi in primordiis nascentis Ecclesiae constantissime defendunt, et praedicaverunt.* Ne autem quispiam in dubium revocet, huius sacrae Religionis alumnos, Eliae, et Elisaei successores, et descendentes esse, quamvis plures Sedis Apostolicae eius rei testes, mihi suffragantes, in medium producere possem, ut Sixtum Quintum, concedentem proprio motu huic religioni, officium de Elia, tanquam de vero eius patrono recitare, Iulium Secundum in bulla cuius initium est: *Ad sacrum Ordinem b. Mariae de monte Carmelo, Gregorium XIII. in bulla, quae exorditur: Ut laudes gloriosissimae Virginis Mariae: nec non Ioanmem XXII. qui omnes ab Elia, et Elisaeo, iure haereditario hanc sacram religionem originem ducere constanter affirmant, solum Sixti IV. tantum Pontificis Maximi felicitis recordationis verba in bulla super hoc edita recitabo: Dum attenta, inquit, meditatione pensamus, quod gloriosissima Dei Genitrix Virgo Maria produxit sacrum Ordinem b. Mariae de monte Carmelo, quem eiusdem Virginis Mariae speciali titulo voluit insigniri, ut ob eiusdem Virginis reverentiam Ordo ipse a Christi fidelibus peramplius veneretur: at Ordinem ipsum, et eius singulares personas, uti ceteros regularium Ordinum professores in firmamento catholicae fidei militant, tanquam religionis speculum, et exemplar specialis charitatis fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliae, Elisaei, Enoch, et aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta fontem Eliae habitarunt successionem haereditariam tenentes; quam bullam totam referre cuperem ad praerogativam, ac sacri huius Ordinis excellentiam ostendendam; sed brevitas causa, illa consulto praetero, contentus dicere, Ordinem tanta matre, talique Domina cohonestatum, aequum esse appellare beatum: Neque venter, qui te portavit, et ubera doctrinae, quae a Mariano ubere susxisti.*

Postquam autem sacra haec religio a Summis Pontificibus confirmata, multisque privilegiis, ac Apostolicis praerogativis donata fuit, s. Paler Simon Stoch Anglus in Generalem istius Ordinis creatus, Christo Redemptori nostro, ac sacratissimae Virgini diligentissime inserviens, ut religio simul tota grata illi obsequia praestaret quoad poterat, satagebat: et quamvis non ignoraret, Ordinem hunc gratiis, et praerogativis Apostolicis, nec non patris tri titulo filiorum beatissimae Virginis ac Patris Eliae successorum, mirum in modum condonatum esse; multis tamen lacrymis, et orationibus honorificum illum titulum ab ipsa Virgine religioni benigne concessum, peculiari aliquo slemmate confirmaret, quod velut sigillum pendens esset, literas patentes filiationis, quam eius fratribus dederat, constabillens enim ab ipsa Dei parente postulabat: oratio a Sancto solita recitari haec erat: *Flos Carmeli,*

vitis florifera, splendor coeli, Virgo puerpera, singularis mater, mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, stella maris. Haec quidem oratio sanctissimae Virgini adeo pergrata fuit, ut nocte quadam Sanctus intra suam cellam genuflexus orans, iubar quoddam caeleste, copiosumque angelorum coelum intueretur, in quorum medio sanctissima Virgo ei apparuit, quae scapulare quoddam manibus deferens, sic illum est alloquuta: *Dilectissime fili, hoc recipe tui Ordinis scapulare, meae contracternitatis signum, tibi, et cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens non aeternum patietur incendium: ecce signum salutis, salus in periculis, foedus pacis, et pacts sempiterni: etenim ad eam modum, quo divinitus factum est, ut flavi, et albi colorum varietate Iacobi agni ab aliis discriminarentur; ita et filios huius religionis voluit beata Virgo ab aliis discerni flavo et albo indumento. Rei ergo illius mirandae fama, atque rumor totam illam regionem invasit, adeo ut iam videres neminem scapulari hoc, atque Virginis slemmate non insignitum, etiam et principes, inter quos recensentur Ludovicus Galliae, et Odoardus Angliae reges, Henricus Alencastri dux, Henricus Notumbriae Comes, Angela Bohemiae regis filia, aliique permulti filii, et filiae regum, et principum qui die ac nocte scapulare gestabant: alii gravissimis aegritudinibus affecti, scapulare tangentes salvi evadebant.*

Capiens autem beatissima Virgo magis ac magis Ordinem hunc illustrare, praecipuisque gratiarum praerogativis sublimare, privilegium quoddam singulare a filio obtinuit: etenim, ut narratur in Bulla Ioan. XXII. quae incipit, *Sacratissimo uti culmine*, data Lugduni die 3. mensis Martii, eius Vicario in terris Ioanni XXII. Summo Pontifici b. Virgo apparuit, ei praecipiens, ut evulgaret Carmelitibus fratribus, et omnibus cum illo scapulari sepulture traditis, Purgatorii ergastulo detentis, meritis, et assiduis intercessionibus, piisque suffragiis, ac singulari eiusdem Virginis protectione, primo Sabbati, die ab ipsorum obitu adventiente, Purgatorii poenarum integram relaxationem dandam: eandem indulgentiam concesserunt Clemens VII. Gregorius XIII. (*in Bull. quae incip. ut laud.*), nec non Sixtus V. Gregorius XIV, et Clemens VIII. singularissima certe gratia, qua nulla alia religio potitur: quamvis enim seraphici nostri Patris s. Francisci habitum portantis plenaria Indulgentia concedatur, eius tamen reliqui Mendicantium Ordines participes reddantur, eandemque Carmelitanae familiae concessit Clemens VII. felicitis recordationis; gratia vero Sabbatae Bullae propria est illius, et non aliis communis. Scapulare ergo hoc signum est futurae salutis, pignus vitae aeternae, ac symbolum foederis, seu pacts sempiterni argumentum: ut enim Deus (*Gen. 17*) pepigit oim cum Abraham foedus, signumque ei tribuens, inquit: *Hoc est pactum meum, quod servabitur inter me, et te, et semen tuum post te: protestabatur ille Christum ex genere ab Abraham oriundum fore; modo autem Virgo signum praebet, quod se sacrae huius Religionis alumnos, matrem amantissimum pro-*

slatur Carmelitanos fratres in filios sibi adoptans. Hodierna igitur die illustri adeo filiatione exornantur, adeoque percelebri titulo insigniuntur, ut ducum, marchionum, comitum, et principum omnium terrae honorificissimos titulos longe praecellant. Quemadmodum autem, cum quis marchionatus titulo praefulgebatur, sibi dux, vel princeps declaratur a rege, marchionis nomine suppresso, ducatus, seu principatus, honorificentiorum titulum assumit: non secus huius Ordinis fratribus licebat iam faciliare, qui cum antea Fratres Carmelitae Eliae nominarentur, aliam gloriosorem a Virgine sibi donatum susceperunt, cum fratres Carmelitae Deiparae Virgini nuncupentur. Refert in idem argumentum Ioannes Trithemius, gravissimus auctor, Abbas ordinis s. Benedicti in libro quem conscripsit de laudibus Carmelitanae Religionis (*cap. 7*), paulo post Christi passionem, crescente per Iudaeam fide Christiana, Fratres huius religionis, qui Carmelum Eliae, qui est in dioecesi Caesariensi, inter Iudaeam, et Phoenicium aedificasse sacellum in illius montis latere, Mariae Virgini Dei Matri sacrum, quod a Palaestinis, Phoenicibus, Galilaesque gentibus maxime fuit frequentatum, et in summa veneratione habitum, quod existimaretur primum in laudem Mariae Virginis erectum. Hanc capellam aedificavit Agabo, huius religionis alumnus, ut testatur Baptista Mantuanus in Parthenicis Mariae per varia carmina, quae et refert Thomas Carmelitanus (*lib. 1. antiqu. ord. Carm. cap. 15*):

Carmeli Patres adit, tunc omnis eremi
Cura fuit penes hos, et coelibus otia vitae.
Moribus auxilium fractis habiturus ut altam
Se tulit in montis requiem, sylvasque silentes.
Per secreta tulit gressum spelaea, virumque
Vivendi coeleste genus miratus amorem
Imblit immensus coeli, sequae ipse perostus
Incola Carmeli vixit, tandemque voluito
Tempore, cum magno fidei mysteria Paulo
Edidit. Maciae primus cum Patribus aedem.
Vertice Carmeli posuit, sociosque vocatos:
Ad Iordanis aquam lustralibus ablit undis
Cum Baptista novae iaceret primordia gentis:
Hispidus hirsuta villosa legumae caprae,
Prothographus Lucas Agabum vocat, omnia multo
Ante videns animo fuit, etc.

Hoc autem sacellum, ut animadvertit Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus (*in lib. de instit. Monach. cap. 36*), aedificatum fuit in loco, ubi antea erat sacellum sanctissimi et clarissimi Eliae, huius inclinatae Religionis institutoris, et patris: quae iniuriis temporum perierat. Fecerunt illius mentionem gravissimi auctores, praesertim Thomas Waldensis (*de sacram. tit. 9. cap. 89*), et doctissimus Navarrus (*in tract. de hor. Canon. cap. 21. numer. 26. et 27*), ubi adducit quosdam de hoc sacello eiusdem Mantuani versus, quos libuit huc transcribere:

In vidua deserta domo rerum indiga Virgo.
Coiuge defuncto, motoque in regna recepto.
Ducebat tristi vitam morosae iacentem.
Pallidae collum dederat cui nomina sylvae.
Et loca, quae curare magis quondam ille solebat
Assidue tanquam prolem vistra petebat.

Et inferius:

Huc igitur, si quando quies, vacuumque negotii
Tempus erat, veniens, aras tenebat et ipsa
Maestale loci large oblectata redibat.
Propterea montana viri spelaea colescit.
Audit illius fatis, sublimae sacellum
A prisca posere luges primi, atque quotannis
Sacra iustaurantes, hymnos, et thura ferabant.

Deinde labentibus annis, ex multis huius religionis hostibus nonnulli hunc titulum invidentes, dicebant, hos religiosos nuncupandos non esse a Maria Virgine Christi matre, sed potius a Maria Aegyptiaca, quae post spurcisimam vitae obsoletatem ad se tandem reversa, in monte Carmelo asperam duxit vitam, et maximam egit poenitentiam. Verum cum huius religionis Patres ad Honorium III. Summum Pontificem se contulissent, ab eo suppliciter postularunt, ut huic honorificum titulum, quem multiose nonnulli impugabant, confirmaret: cum rem hanc discutiendam commisisset quibusdam curialibus, qui huius rei declarationem differebant, Maria Virgo sanctissima Summum Pontificem in somnis admoovit, ut negotium huius religiosi abolveret, et ad exitum usque perduceret: *Nec est, ait, adversandum in his, dum iubeo, nec dissimulandum, dum promoveo.* Ut autem fidem adhiberet iis, quae dicebat, insinavit deo ex curialibus huius religionis amulos, quos ultro, esse plexos dispari exitu, sed discussa pari. Ad a somno exaltatus summus Pontifex, rem hanc cum Cardinalibus pertractans, regulam huius religionis confirmavit, et huic honorificum titulum approbavit 3. Kalendas Februarii, anno 1216. ut refert Paleonydorus (*lib. 3. cap. 5*), in cuius victoriae de inimicis reprobatae grati animi signum, institutum fuit hoc festum commemorationis beatae Mariae de monte Carmelo 16. Iulii; unde in oratione huius diei dicitur: *Deus, qui excellentissimae Virginis, et matris Mariae titulo humilem Ordinem tibi electum singulariter decorasti, et pro defensione eiusdem miracula suscitasti: concede propitius, ut cuius commemorationem devoti veneramus, etc.* quod in aliis aliarum horarum orationibus expresse etiam dicitur, ut patet ex breviario antiquissimo huius religionis. Hunc eundem titulum approbavit Urbanus Sextus, ea oblata occasione, quod progredientibus temporibus, quidam doctor, huius religionis amulus, eandem iniuriam refrexit, publice dicens, huius religionis Patres a Maria Aegyptiaca, et non a Maria Virgine matre Dei appellandos esse: cumque in Universitate Cantabrigensi Claustro pleuro decretum fuisset, hanc religionem habere in Advocatam matrem Christi Mariam, eique huic honorificum titulum iure deberi, adhuc animas illius non quiescebat. Qua de causa huius religionis Patres a dierunt Urbanum Sextum summum Pontificem, a quo haec honorifici tituli confirmationem iterum impetrarunt.

Deinde cum divus Cyrillus Alexandrinus Carmelitanae religionis filius, Sedis Apostolicae Legatus a latere in Concilio Ephesio adversus

Nestorium haereticum, beatæ Virginis Mariæ sanctitatem, et maternitatem defendere, eamque appellandam esse Theotocon, id est, Dei matrem, confirmavit, approbante Concilio, mirandum non est, si hac etiam ratione haec religio hunc sibi vindicaret titulum, id testante Palcyndoro (*lib. 2. cap. 7.*) Imo si rem altius repetere liceat, inde crederem beatissimam Virginem Ordinem hunc speciali favore prosequutam fuisse, quod eum loco vicinum, tempore primum sibi, et filio in obsequium exortum recognosceret, et cum eius mater Anna, et avia eius Emerentiana maximo prosequerentur amore, ut gravissimi tradunt auctores, infra referendi, religiosos illos Carmeli, ab illis trahentem originem, qui montem Carmelum incolabant: imo de matre Emerentiana ferunt, in monte Carmelo fuisse illi revelationem, ex sua stirpe beatam Virginem nascitam, et testatur Petrus Dorlanus Cartus. (*in vita sanctæ Annæ*), et Ascentius Vadius. Cum autem beatissima Virgo Nazareth inhabitaret, quae, teste Hieronymo, a Carmelo tribus tantum distat milliariibus, Carmelitas Carmelum incolentes, aliquando cum suis sodalibus visitabat, ob veterem loci sanctitatem, teste Armachano Hiberniæ Primate, ut refert Ubaldensis (*de Sacrament. titul. 9.*) cuius haec sunt verba: *Erat huius Ordinis soror, nomine Maria, quae dum de Nazareth in montana Carmeli consedere staret, pluries dixit filio suo, vadam, et narrabo nomen tuum fratribus meis, patris Eliae filius; et quid putas Ordo Carmeli responderit, utique illius sanctissimæ Elisabeth verbum: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? atque illud verbum institutoris Eliae: Mulier da mihi filium. Eiusdem sententiæ est Martinus Italus (*in suis Chronicis*): Ad eos autem, ait, qui inveniunt tempore superioribus ex prophetis originem traxerunt, sanctam Dei Genitricem cum in humanis ageret, sicut matrem ad filios saepe numero venisse legimus; ad istiusmodi etiam viros, Christum cum discipulis quibusdam perennis didicimus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA II.

Praeconiæ sacri Ordinis sanctæ Mariæ de Monte Carmelo prosequamur, a cavilliosis omnibus accerrime illam vindicantes, quibus quidam auctores iniuste eam lacerare ausi sunt.

Arbitror sane sacro Ordini Carmelitano persimile quidpiam, atque patriarchae Iosepho accidisse: etenim sicut Iacob patre eius tunicam polymitam ei soli prae ceteris aliis fratribus suis donante in pignus singularis amoris, quo illum prosequeretur, invidia livore saucii eius fratres adversus eum excandescere coeperunt: sic enim ait sacer Textus (*Gen. 37*): *Videntes autem fratres eius, quod a patre plus*

*cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidpiam pacifice loqui: non dissimiliter, cum sanctissima Virgo in argumentum specialis dilectionis, qua erga Carmeliticum Ordinem aestuabat, tunicam polymitam scapularis dono dederit beato Simoni Stoch Anglo, Carmelitici Ordinis priori generali, ut in eius officio legitur, et tradunt Palcyndorus (*lib. 3. cap. 12*), Ioan. Favent. et Philippus Macer. (*in vita s. Petri Thomae*): quidam huius favoris invidi, vel veritatis ignari, non possunt huic sacro Ordini, instar fratrum Ioseph, quidquam pacifice loqui. Ceterum apertissime ipsos deceptos fuisse, quantum praesentis argumenti conditio patitur, luculenter demonstrabo: ut enim recte dixit Arist. (*lib. 1. Moral. cap. 3*): *Est enim eruditi catervis exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus patri rei ipsius natura potest: nam et mathematicum suasionibus utentem approbare, et ab oratore demonstrationes exigere simile vitium videtur.* Ut autem praesenti muneri satisfaciam, oppugnantorum tela debito ordine proponam pariter, et infringam: quia tamen inter omnes oppugnationes acris Hieronymus Romanus (*in suo Defens.*) adversus hunc sacrum Ordinem invehit, et quia prae intemperata cupidine illum expugnandi, nullum lapidem immolatum relinquit, quo illum non impeteret, eius praecipue delicta manifeste aperiam, deinde aliorum obiecta diluam.*

OBIECTIO I.

Primo ergo obiectat (*lib. 2. cap. 8*) sibi persuadere non posse, Eliam fuisse monachum, aut vitae monasticæ institutorem, quia d. Hieronymus (*in vita s. Pauli Eremitæ*), ubi de monachatu agit, nullam prorsus mentionem fecit monachorum Eliae: quod non alia ratione aiti sibi videri ab eo omissum, nisi quia nullum talis monachatus vestigium repererat. Nec veretur addere nullum dari auctorem, praeter ipsos Carmelitas, qui affirmant Eliam aliquem unquam religiosum Ordinem instituisse: oportuisset quidem illum legisse d. Hieronymum (*epist. 13*) dicentem: *Noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri Duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris, et solitudinibus, et faciebant sibi tabernacula prope fuenta Jordanis.* Hos autem vere monachos fuisse sub Eliano instituto, testis est omni exceptione maior s. Isidor. (*l. 8. de offic. cap. 9*), ubi ait: *Unde ad monachos studium deflavit paupertatis, vel quis huius conversationis exiit auctor, cuius habitum imitentur? quantum attinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, huius propositi princeps Elias, et discipuli eius Eliseus fuerunt, sive filii prophetarum, qui habitabant in solitudine, uribusque relictis, faciebant sibi casulas iuxta fuenta Jordanis. Conspirant in idem Ioan. Cassian. (*lib. 1. de instit. renne. cap. 2*) dum ait: *Itaque monachum, ut militem Christi accinctis lumbis, iugiter oportet incidere: hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundave-**

re primordia, Eliam scilicet, et Eliseum, divinarum Scripturarum auctoritate monstratur. Deinde Ioannes XLIV. patriarcha Ierosolymitanus (*lib. de inst. Monach. esp. 2*) ita in hac parte clare loquitur, ut absque gravi protervia, negari non possit, Eliam monasticæ vitae fuisse institutorem: verba eius sunt haec: *Hic propheta Dei Elias monachorum princeps primus exiit, a quo sancta eorum primaeva institutio sumpsit exordium: ipse enim obtentu contemplationis divinae, longe ab urbibus recedens, et seipsum cunctis terrenis exuens, religiosam, et prophetalem vitam eremiticam, primum hominum a proposito ducere coepit, quam, sancto dictante, et mandante Spiritu, inchoavit, et instituit.* Postea (*cap. 19*) ait: *Studuit Elias deinceps religionem, quam inchoaverat, in loco idoneo plantare: quare ad sui et suorum discipulorum iugem mansionem elegit praesulis eremici Carmeli montem, et exercendam. Mons quippe praebet eremitaie homini ex sua solitudine silentium, et quietem, ex suis antris congruam mansionem, ex suo saltu inundatam, ex eminenti situ aere malsubrem, ex suis herbis, et fructibus pastum uberem, et ex suo fonte aquae vivae hauritum dulcem. Propter quae omnia Elias in monte isto non modo elegit habitare, verum etiam domum orationi consecratam, appellatam Seunon in eo aedificavit. Ac tandem (c. 20) ait: *Ad continentiam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, Elias montem hunc devotorem suis discipulis reddidit, non solum exemplo sui, qui ex tunc, quando in hoc mundo mansit, scilicet per sexdecim annos, montem istum incoluit, sed quia prae ceteris eremis, in quibus habitavit, montem hunc quibusdam alitis miraculis specialiter insignivit.**

Trithemius Abbas de laudibus Carmelitarum, argumentum hoc latissime elucidans, apertissime ostendit, Eliam, et Eliseum Carmelitanæ religioni dedisse primordia, seriemque Ordinis contextit ab Elia, usque ad annum Domini 1220, quo tempore Carmelitani in Europam pervenerunt, omissis aliis, quae sparsim toto illo libro tradit, aliqua eius verba referam: ait enim (*cap. 2*): *Elias propheta Domini eximius recte, et catholice fundator Carmelitanæ religionis dicitur, si eius facta ex voluminibus regum absque invidia discutiantur. Enim vero ipse montem Carmeli primus habitasse legitur, a quo fratres Carmelitæ nominantur. Tripartiti autem ratione ostenditur, quod istius observantiae princeps Elias habeatur, a loco videlicet, ab habitu, et conversatione. Cum ergo nomen Ordinis a loco sumitur; merito Carmelitarum princeps Elias memoratur, quia mons Carmelus, cuius ille habitator exiit, huic Ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimonio Scripturarum comprobata profero, cum Eliam prophetam eundem locum longe ante Christi nativitatem habitasse dico, qui fratribus Carmelitæ religionis suae nomen, et exordium dedit.*

Marlyrologium Molani die 17. Iulii ita scribit: *In Arabia raptus s. Eliae prophetae Domini, et Carmelitanæ religionis Patriarchae, qui tantam gratiam invenit coram Domino, ut ver-*

*bis clauderet, et aperiret coelum. Haec sane sufficiebant; sed maiora his apponam: nam d. Basilus (*in epist. ad Chel. Anachoet.*) ait: *Hic mons celebris Carmelus, in quo Elias demoratus, perplacuit Deo. D. Gregor. Nazian. (*in orat. de pauper. amore*) sic loquitur: Praeclara est solitudo, et vita ob hominum commercium semota; idque nunc docet Elias Carmelus, et Ioannis desertum: et infra subdit: *Ut ab omni negotio tranquille philosopharer, mecumque ipsum colloquium haberem, Eliae Carmelum cogitabam, Ioannisque desertum, ac coelestem eorum, qui hoc philosophiae genus profertur, vitam.***

Denique id ipsum tradunt Volaterranus (*in Antropol. lib. 21*), dum ait: *Carmelitas a monte Carmelo, mora Eliae, et Elisei nobilitata. Guilielmus (*lib. contin. bell. sacra. cap. 3*): Est Carmelus mons in Syria, morum tam aliorum prophetarum, quam Eliae, et Elisei nobilis. Polydorus Virgilius (*lib. 3. de invent. rer. cap. 7*), nec non Sabellicus (*lib. 5. Aeneid. 9*), Theatrum Vitae humanae (*lib. 3. col. 21*), eadem verba repetunt de mora Eliae in Carmelo, Nicephorus (*lib. 8. histor. cap. 39*), Sozomenus (*in tripart. lib. 1. cap. 11*), Gallienus (*de orig. Monast. vit.*), Cardinalis Bellarminus (*lib. 2. Monach. cap. 5*), Canisius (*lib. 1. de corrupt. cap. 2*), Genebrardus (*lib. 4. Chron.*), Cum ergo tot antiqui, et sancti Patres, ac gravissimi auctores, unanimi consensu testentur, Eliam monasticæ vitae institutorem fuisse, facile innotescit temeritas Hieronymi Romani, qui ausus est dicere, nullum auctorem praeter Carmelitas id unquam tradidisse.*

Tandem illud singulare silentio non praetermittam, quod sapienter, et erudite Ioannes quadragesimus quartus patriarcha Ierosolymitanus (*lib. de Instit. Monach.*) Eliam monasticam vitam instituisse, colligit ex illis verbis (*Ecles. 48*): *Propheta facis successores post te. Etenim licet quidam interpretati sint haec verba ad Eliam dicta fuisse, eo quod ex mandato Dei (*3. Reg. 19*) Eliseum unxit, et sui spiritus prophetici haereditate reliquit; germanus tamen sensus est, nomine Prophetarum non intelligi futura vaticinantes, sed Deum in hymnis, et canticis spiritualibus, ac musicis instrumentis laudantes, ut non obscure indicat verba illa (*Paralip. 25*): *David, et magistratus caecocitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Enam, et Idithum, qui prophetaverunt cum cytharis, psalteris, et cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio servientes: et post pauca: Idithum in cythara prophetabat super omnes confitentes, et laudantes Deum. Monachos ergo laudantes Deum vocat successores Eliae, cum ait: *Propheta facis successores post te.***

OBIECTIO II.

Secundo, obicit Hieronymus Romanus (*lib. 2. cap. 11*), quod varia itineraria legerit, ut Martini de Ampies, Maguntiae Decani, et Arandae Franciscani, qui copiose terram sanctam describunt, dicentes: Hic sepultus fuit A-